e nostris funde misteriis
[A]c licet inanem munere solo
ipsum flore purpureo et suaue
redolentibus sparge grami-
nibus. Dices tamen illi, sed
non aspere, non acerbe, tamquam pa-
rientis alloquio, non expro-
brantis elogio: quod si uel
te quondam uel me semper
audire uoluisset et marti-
num magis quam illum quem
nominare nolo secutus fuisset, numquam
a me tam cru-
deliter disparatus ignoti
pulueris regione tegeretur,
naufragi forte predonis passus
in medio mari mortem, et uix
in extremo nactus litore se-
pulturam. Videat hoc sibi opus
suum quicumque illum abstersit
michi nocere uoluerunt. Vide-
ant gloriam suam, et uel nunc
aduersum me grassari desi-
nant uindicati. Hec cum mestus
flebili uoce gemeremus, cunctis
lacrimis per nostra lamenta
commotis, cum magna quidem
martini admiratione, sed non
minore e nostris fletibus
dolore discessum est.

Explicit liber
tertius

[Q]uodam itidem die dum in
area que parua admo-
dum tabernaculum illius
ambiebat, in illo suo quod
nostis omnes sedili ligneo re-
sedisset, uidet duos demones
in excelsa illa que mona-
sterio super eminet rupe
consistere. Inde alacres ac
letos uocem istiusmodi ad-
hortationis emittere: Eia
te Bricio! Eia te Bricio! Cre-
do cernebant miserum eminus
propinquantem, conscii quantam
illi rabiem spiritus suscitassent.
[N]ec mora Bricio furibun-
dus irrupit ibi plenus in-
sania euomit in martinum
mille conuicia. Obiurgatus
enim pridie ab eo fuerat cur
qui nichil umquam ante cle-
ricatum, quippe qui in mona-
sterio ab ipso martino nutritus
fuisset, equos aleret mancipia
compararet. Nam illo
tempore arguebatur a multis
quod non solum pueros sed etiam
puellas scitas multis coemisset
[o]mnibus rebus infelicissimus
insano felle commotus et ut
credo precipue demonum illorum
agitatus instinctu martinum
ita agressus est ut uix
manibus temperaret. Eum quid